



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 25. Acta Concilii in caussa unionis Græcorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

five ut vocant, Gothiam, inde in Pome-  
 raniam secessit, ubi pluribus transactis  
 annis obiit Anno salutis millesimo qua-  
 dringentesimo quinquagesimo nono, æta-  
 tatis suæ septuagesimo septimo. Non ea-  
 dem est Historicorum relatio de Regis  
 hujus indole. Æneas Sylvius illum lau-  
 dibus celebrat: Ast Joannes Magnus eum  
 in Gotlandia piraticam exercuisse, male-  
 que sibi conscium ob perversam Regni ad-  
 ministrationem collectis Regni thesauris  
 in præfatam Insulam secessisse tradit, una-  
 cum concubina sua, præ ceteris carissi-  
 ma, quæ tamen haud minimam fugæ  
 suæ causam præbuit.

## §. XXV.

*Acta Concilii in causa unionis Græ-  
 corum.*

Currente eodem anno in mense Novem-  
 bri Basileæ habita est congregatio  
 Generalis, Præsidente Cardinale Juliano;  
 in qua Synodus Montanam Tribunalum,  
 collata militari clava, Supremum Eccle-  
 siastici exercitus vexilliferum creavit.  
 Quosdam a Basileensibus nominatos fu-  
 isse meminimus, quibus datum negotium,  
 ut de opportunitate urbium, quas propo-  
 fuerant, docerent, necnon in viros, qui  
 stipulato scenore sexaginta ducatorum  
 millia mutua darent, inquirerent, ac de  
 cete-

sæcul XV.

A. C. 1416.

Æn. Sylv.

Europ. c. 33.

Joan.

Magn. l. 22.

Patrit. Acta

to. 13. Conc.

p. 1542.



Sæcul. XV.  
A.C. 1436.

*Panormit.  
hist. Concil.  
Basil.*

ceteris, quæ necessaria viderentur, concilium caperent. Quam ob rem frequentes habebantur congregationes, in quibus per plures dies ea, quæ Deputati retulerunt, excipiebant Patres; Quænam tandem inter illas urbes, quæ proponebantur, seligenda, diu, multumque deliberatum est. Postmodum causa in particularibus Deputationibus maturiori examine discutiebatur, at rursus difficillimis obnoxia erat contentionibus, fato semper omnibus iisque periculosis negotiis solemnibus. Denique hanc in rem indicta est Congregatio Generalis, cui trecenti ferme quinquaginta septem Prælati, testatur Panormitanus, interfuerunt, collecto suffragiorum numero non solum duplè major pars, prout in sessione IX factum novimus, sed longe copiosior suffragantium numerus Concilium Basileæ celebrandum statuit, dummodo Græcis dicta civitas arrideret, secus vero, ut Avinionem se conferrent, persuadendos esse, aut si id omnino fieri non posset, saltem Sabaudiam vocandos, quam ipsimet Græci olim pro loco futuri Concilii obtulissent.

§. XXVI.

*Legati a Synodo ad Eugenium missi ad  
conventus rationem reddituri.*

Synodus duos Legatos, nempe Dionysium